



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Casus XLVI. De puerorum communione, S. Viatico, aliisque eorum  
obligationibus præcepta Ecclesiastica concernentibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

## CASUS XLVI.

*De puerorum communione, S. Viatico, aliisque eorum obligationibus præcepta Ecclesiast. concernentibus.*

**T**heresia relicta vidua cum gemina prole ex Tharso marito defuncto suscepta, tota est in ea benè educanda, & pietate eidem instillanda. Post 3. menses à morte patris Rosalia filia minor jam septennis ægrotare incipit; cum autem morbus in dies augetur, Theresia mater mortis periculum animadvertens Parochum adit, ex eoque exquirat, an Sacrum Viaticum Rosaliæ periculosè decumbenti præberi possit, aut debeat, qui cum de sufficiente usu rationis dubitaret, eam S. Viatico munire intermittit.

*QUÆR. I. An pueri septennium egressi teneantur præcepto Communionis Paschalis, & an eisdem, completo septennio, dandum sit S. Viaticum in Articulo mortis?*

*QUÆR. II. An iisdem præberi possit, aut debeat sacrum Viaticum, quando Parochus, vel Confessarius dubitat, an sint doli capaces, & sufficiente rationis usu polleant?*

*QUÆR. III. An pueri, cum ad usum rationis perveniunt, teneantur statim legibus Ecclesiasticis, quæ expresse tempus obligationis non determinant?*

258 **A**D I. Q. Infantibus ante usum rationis non esse hodie administrandam S. Eucharistiam, patet ex usu, & praxi Ecclesiæ, ac unanimi DD. consensu; nam licet olim in primitiva Ecclesia consuetudo viguerit communicandi etiam infantes, uti referunt D. Dionys. de Eccles. hierarch. c. 7. p. 3. Lugo D. 13. sect. 2. & Trident. Sess. 21. c. 4. ea tamen consuetudo postea iustas ob causas sublata est.

Quam

Quam primùm tamen pueri usum rationis adepti sunt, & capaces, ac digni iudicantur, qui ad peccatorum Confessionem admittantur, potest illis licitè præberi Sacra Eucharistia, ut tenet communis DD. quia cùm usum rationis habeant, (quod communiter completo septennio accidere solet) & annos discretionis, panem cœlestem à corporali, ac vulgari distinguere possunt, præsertim accedente proba institutione, ætatis imbecillitatem compensante; attamen ex usu, & indulgentia Ecclesiæ major ad Communionem, quàm ad Confessionem iudicii maturitas expectari solet, ubi alii decennium, alii annum duodecimum requirunt ad hoc, ut videantur pueri habere discretionem ad reverenter suscipiendam Eucharistiam. Verùm cùm aliquibus citiùs, aliquibus tardiùs adveniat usus rationis, certa ætas requiri, ac definiri non potest, sed id meliùs prudentis arbitrio relinquendum est, ut docet communis DD. & patet etiam ex *cap. omnis utriusque Sexus* &c. ubi hoc præceptum communicandi imponitur, remissa arbitrio Confessarii temporis prorogatione.

Quòd si Confessarius, aut Parochus non iudicet, nec expressè consulat, differendam esse S. Communionem, S. Anton. 2. p. tit. 9. cap. 8. & 3. p. tit. 14. c. 12. §. 5. Palud. 4. dist. 12. q. 1. n. 25. Tabien.

R. P. Leonardelli Soc. Jes.

*in Summ. V. Communicare n. 3. Valent. 4. tom. D. 5. q. 8. p. 2. Palao 11. 3. D. 1. p. 24. §. 2. Lacroix l. 6. n. 649. alique.* Affirmant quemlibet puerum, cùm ad annos discretionis venit, & obligatus est lege Confessionis, obligatum quoque esse præcepto Communionis Paschalis per se loquendo, & nisi proprius Sacerdos iudicet id esse differendum, ut dictum est. Moventur 1. Quia, cùm Ecclesia non determinet ætatem, sed tantùm requirat annos discretionis, cùm hi adsunt, adest etiam, per se loquendo, obligatio præcepti. 2. Quia in *cap. omnis utriusque sexus* &c. omnibus fidelibus æqualiter imponitur & præceptum Confessionis, & Communionis in Paschate, uti notat ibi Gloss. solùmque ibi subjungatur, Communionem differri posse ex Consilio proprii Sacerdotis, non quia obligatus non sit communicare, qui obligatus est confiteri; sed quia possunt esse plures causæ prorogandi tempus communionis.

Accedit, quòd, ut ait Palao l. c. Non minor discretio requiratur ad recipiendam absolutionem Sacramentalem, quàm ad recipiendam reverenter Eucharistiam; cùm ad recipiendam absolutionem non solum requiratur, ut scias distinguere inter bonum, & malum, sed ut scias, te debere omnia peccata cum intimo dolore, ac proposito requisito Confessario ma-

O o

nife-

nifestare, quod non minùs difficile est, quàm scire te non debere communicare, nisi jejunum, & à peccatis purgatum. Notat tamen hìc Lugo n. 36. cum Palao, Suarez, Dicastill. à n. 103. Eos non obligari statim nunc hoc ipso, quòd hunc cibum spiritualem discernant à corporali, idque ex usu, & praxi Ecclesiæ interpretante hoc præceptum, & non statim pueros admittente ad Communionem, tum propter reverentiam Sacramenti, tum propter majorem fructum recipiendum, si melius dispositi accedant. Unde Palao *tr. 21. D. un. p. 10.* censet, ordinariè neminem ante decimum annum obligari censendum esse, sæpèque pueros etiam rationis usu, & discretionè ad Eucharistiam sufficiente pollentes excusari ab obligatione eam suscipiendi; quia à parentibus vel Confessariis non permittuntur, ipsosque parentes, & Parochos excusari à consuetudine, quæ rarò ante decimum annum Eucharistiam alicui ministrat.

259 Ad alterum Q. membrum, non nulli cum Navar. *summ. cap. 21. n. 57.* Armilla *V. communio, n. 10.* Cajetan. *V. Minister communionis, Vsq.* Hurt. Gran. censent pueros, completo septennio, doli capacibus S. Viaticum in articulo mortis præberi posse, non autem dandi obligationem esse.

Alii è contra cum Suarez *D. 70. Sect. 1. Lug. n. 37.* Palao, *Dicastill. D. 10. à n. 110.* Aversa *q. 8. sect. 1.* Tambur. Diana Lohn. Lacroix & alii arbitrantur non solum S. Viaticum dari posse, sed etiam dari debere pueris morituris habentibus usum rationis, & pœnitentiæ capacibus; tum quia sumptio S. Viatici in hoc articulo est præcepti divini, quò obligantur quot quot rationis usum habent; tum quia, cum ex una parte capaces sint talis Sacramenti, & sæpe illius fructu indigeant; ex altera parte præceptum divinum obligans ad S. Viaticum nihil committat Ecclesiæ, vel Confessariis circa ætatem pueri, nec possit tunc expectari plenior usus rationis, non est ratio, cur non statim obligentur, cum tunc sufficientem hujus cibi discretionem habere possint.

Ad 2. Q. An in dubio de sufficiente usu rationis dari possit, aut debeat pueris S. Viaticum in articulo mortis? Respondet Lugo n. 40. non esse obligationem dandi; quia dubium est, num lege comprehendantur, & libertas maneat in possessione; posse tamen eis præberi; quia, inquit, prohibitio dandi Eucharistiam pueris fundatur ferè in consuetudine fundata in Ritualis Romani rubricis: Sed in illis non aliter explicatur ea prohibitio circa Eucharistiam, ac  
circa

circa extremam Unctionem: ergo sicut ista potest ejusmodi puero dari, ita & Eucharistia, cum hæc non minoris, sed potius majoris necessitatis sit, quam illa.

Contrarium verò docent, ac tenent Schild. *tr. 6. n. 21.* & Bernal cum aliis *de Sacram. D. 44. sect. 6. §. 2. n. 19.* ubi contra Lug. contendit, si Eucharistia tunc dari posset, etiam dari debere; non autem dari debet, ut vult Lug. ergo neque licite dari potest, idque ob periculum irreverentiæ irrogandæ S. Eucharistiæ, cujus ritè percipiendæ idoneus judicandus non est ille, de cujus discretione dubitatur.

261 Nihilominus sententiam Lug. rectè amplectuntur, ac defendunt Dicastill. *de Sacram. tr. 4. D. 10. dub. 6. n. 121.* Diana *tr. 16. Miscell. R. 35.* Tambur. *de Commun. cap. 5. §. 8. n. 14.* Averla *de Sacram. Euch. q. 8. Sect. 2.* Lacroix *l. c. n. 648.* aliique. Ratio ulterior est; quia, ut arguit Dicastill. si puer ille, de quo dubitatur, an habeat sufficientem usum rationis, re vera illum habeat, dari debet, & non debet illò privari: si verò nondum sit capax doli, & illi præbeatur Sacramentum, habebit illud suum effectum, cum pueris baptizatis, si detur, gratiam conferat, ut probat citt. Author *D. 9. n. 200. & seqq.* & ad Eucharistiæ fructum sola voluntas

suscipientis, existentis, in gratia, sufficiat, ut notat Palao *tr. 21. D. unic. p. 10.*

Conf. ex generali illo principiò, quòd quando ex duobus periculis, damnis, aut inconvenientibus, alterutrum subeundum est, minus eligi debeat: nam minus est inconveniens, & minus periculum conferre tali puero S. Eucharistiam quam negare: ergo conferenda potius erit, quam neganda: ant. prob. si illi negetur, & re vera sit capax, privatur tanto bono, & non fit, quod Christus fieri voluit; si verò detur puero nondum doli capaci, ex una parte non fit irreverentia Sacramento ex eo, quòd manducetur à puero innocente; ex alia parte, non frustra datur, & sine effectù, siquidem gratiam illi confert, & gloriam per æternitatem habebit, gratiæ illi correspondentem: ergo minus inconveniens (si tamen inconveniens) est illi conferre, quam negare. Addit tamen hîc rectè Averla *l. c.* in tali casu id facilius videri, si interrogationibus aliquibus excitetur capacitas pueri, ut melius de ea formari possit iudicium, an sit concedenda Eucharistia? Palao verò ait *tr. 3. D. 1. p. 24. §. 2.* quando dubium est, an usum rationis habeant, præsumendos esse habere, si septennium compleverint, secùs eo nondum completo; quia usus rationis regulariter completo septennio haberi

beri solet, præsumptio verò fit, ex  
communiter contingentibus.

262 Ad 3, Q. Supponendum est, pue-  
ros ante usum rationis, qui regulari-  
ter completo septennio haberi so-  
let, nullis Ecclesiæ legibus obligari;  
quia harum obligationum funda-  
mentum est usus rationis, quam o-  
brem possunt diebus vestitis vesci  
carnibus, divinis interesse tempore  
interdicti, claustra monialium  
ingredi &c. ut notant Suarez *tom.*  
*3. in 3. p. D. 40. sect. 2.* Sanch. *l. 7.*  
*in Decal. c. 12.* Palao *l. c. Azor 1. 1.*  
*l. 5. c. 41. questio 4.*

An autem legibus Ecclesiasticis  
teneantur statim, postquam usum  
rationis sunt adepti, controver-  
sum est inter DD. D. Antonin. 2.  
*p. tit. 9. cap. 8. §. 2.* affirmat, pue-  
ros non teneri præcepto Confes-  
sionis usque ad decimum, & dimi-  
dium annum, & aliquantulum ultra.  
Fæminas verò usque ad nonum &  
dimidium annum, & aliquantulum  
ultra. Sotus verò 4. *dist. 12. q. 1. a.*  
*11.* censet pueros non teneri ad Ec-  
clesiasticum Confessionis præcep-  
tum, nec ad reliqua Ecclesiæ præ-  
cepta usque ad annum duodeci-  
mum. Alii cum Henriq. *l. 8. de*  
*Euch. cap. 42. n. 4.* docent dunta-  
xat, pueros non statim, ac ratio-  
nis usum habent, Ecclesiæ præcep-  
tis obligari.

Verùm tenenda est affirmativa  
sententia, quam amplectuntur Sua-  
rez *l. c. D. 36.* Navar. *Summ. cap.*  
*21.* Sanch. *l. c. n. 6.* Palao *l. c. Va-*

*lencia 4. p. D. 7. q. 9. p. 4.* Azor *l. c.*  
*& l. 7. c. 40. q. 6.* & *cap. 41. q. 10.*  
Bonac. *D. 1. q. 1. p. 6. n. 8.* Salas *de*  
*leg. D. 14. sect. 13.* Laym. *l. 1. rr. 4.*  
*c. 10. n. 4.* aliique, quam commu-  
nem esse dicit etiam Sà adversarius  
*V. Confessio.* affirmantes, pueros, per  
seloquendo, dum ad usum rationis  
perveniunt, quod communiter sep-  
tennio completo accidere solet, te-  
neri omnibus Ecclesiæ legibus, quæ  
expressè tempus obligationis non  
determinant, sicut determinat lex  
jejunii, atque adeò teneri ad Con-  
fessionem annuam, ad audiendam  
Missam die festo, ad abstinentiam à  
cibus vetitis die jejunii &c.

Et quidem de præcepto Confes-  
sionis haud obscure colligitur ex *C.*  
*omnis utriusque sexus &c.* ubi præcipi-  
tur, omnibus fidelibus, cum ad an-  
nos discretionis pervenerint, confi-  
teri, cujus proin præcepti transgres-  
sores erunt pueri, si discretionem  
habentes, Confessionem omittant,  
conficii peccati mortalis, 2. Quia  
Ecclesia præceptum annuæ Con-  
fessionis imponens solum tempus  
implendi præcepti divini de pera-  
genda Confessione determinavit:  
at jure divino omnis usum rationis  
ad peccandum habens, si mortaliter  
delinquat, confiteri tenetur, si qui-  
dem Christus nullum aliud medium  
peccato mortali post baptismum  
commisso expiando reliquit, præ-  
ter Confessionem Sacramentalem:  
ergo & jure Ecclesiastico ad Con-  
fessionem annuam obligabitur.

De

De cæteris quoque aliis Ecclesiæ præceptis universim ratio est; quia pueri hoc ipso, quod usum rationis habeant, capaces sunt legalis obligationis, & præcepti: ergo cum lex generale mandatum sit, quod à tota communitate observari debet, etiam pueros comprehendet, nisi expressè inveniatur excepti.

Conf. pueri usum rationis adepti obligantur legibus naturalibus, & divinis: ergo etiam obligantur legibus Ecclesiasticis, cum eadem ratio in omnibus procedat; tum quia possunt intelligere & observare præceptum, tum quia sunt subditi Ecclesiæ, nec excusari possunt defectu usus rationis: ergo non est, cur non obligentur legibus Ecclesiasticis.

263 Ex dictis inferitur 1. non licere tibi die jejunii ministrare pueris carnes, aliósque cibos vetitos post completum septennium; quia tunc lege tenentur. Nec tibi id licere, si dubium sit, an rationis usum habeant, ut notant Sanch. Bonac. & alii, si constet, illos septennium complevisse; quia completo septennio præsumitur adesse usus rationis; licere tamen tibi carnes eis porrigere, si nondum septennium compleverint; quia ante septennium non ligantur legibus Ecclesiasticis, nec tunc præsumitur adesse usus rationis.

Inf. 2. Non esse tibi licitum ignorantibus esse diem jejunii, neque ebriis ministrare cibos vetitos, aut comedendos consulere; quia absolute tenentur lege jejunii, & aliàs cooperareri ad actum de se malum; licet hîc & nunc ab illius transgressione & peccato excusentur ob defectum rationis.

Inf. 3. Posse infidelibus cibos vetitos dari die jejunii; quia hi nullis Ecclesiæ legibus subduntur: uti & Catechumenis; quia ante Baptismum nemo illorum Ecclesiæ legibus ligatur.

Neque dicas, si porrigens carnes infideli tempore jejunii non peccat, neque peccabit porrigens carnes ebriis, cum non magis peccet porrigens, quàm comedens; comedens autem non peccat: ergo,

R. Enim n. seq. & paritat. disparitas est, quia infidelis non est subditus legibus Ecclesiasticis, ut dictum est; ebrius verò est illis subditus: atque adeò porrigens illi carnes die jejunii peccat, quia cooperatur actioni alteri prohibitæ, licet ebrius ob defectum usus rationis hîc, & nunc à peccato excusetur.

